



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An peregrini, & advenæ habentes casum reservatum in sua Diœcesi,
& transeuntes ad aliam Diœcesim, ubi non est reservatus absolvi possint à
quovis approbato Confessario?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

208 **A**D 1. Q. R. Confessarium, habentem potestatem in Diocesi absolvendi à reservatis, non solum posse eam exercere etiam in advenas, & peregrinos ex tacito consensu Prælatorum, & generali consuetudine, vi cuius peregrini, & advenæ, ut incolæ, à Diocesium Confessariis absolvuntur, uti contra Sotum *d. 18. q. 2. a. 4.* docent S. Anton. *3. p. tit. 17. c. 4.* Cajetan. *Summ. V. absolutio 2.* Suarez *D. 30. de Pœnit. Sect. 1. n. 4.* Lugo *D. 20. n. 71.* Palud. & alii.

Verum etiam posse peregrinos, & advenas etiam absolvi à quovis alio Sacerdote approbato, quando casus est duntaxat reservatus in propria peregrinorum, & advenarum Diocesi. Ita Suarez *D. 33. S. 1. n. 5.* Navar. *in man. cap. 27. n. 275.* Lacroix *l. 6. p. 2. n. 1631.* Octavius Maria à S. Joseph. aliique cum, & apud Bonac. *D. 5. q. pun. 5. §. 2. n. 9.* Ratio est; tum quia Confessarii non tenentur scire casus aliis aliarum Diocesium Episcopis reservatos; tum quia reus, seu pœnitens, ut incola, judicandus est juxta forum, & leges loci illius, in quo reperitur; tum quia reservatio Episcopalis vim tantum habet intra Diocesim reservantis; tum denique quia adesse censetur tacitus Prælatorum consensus. Et ita declaravit etiam Clemens X. in *Const.* quæ incipit: *Superna*, edita Anno 1670. addita tamen hac

limitatione, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Diocesim pro absolutione obrinenda migrasse. Tum quia tunc non censetur illorum Episcopus consentire; tum quia par non est, ut fraus, & dolus eis patrocinentur; qualis fraus tunc contingeret, quando quis habens reservata in sua Diocesi, absque necessitate, datâ operâ, consultò, ac Studio sè pergeret in aliam, in qua non sunt reservata, ut ibi absolvatur, & proprium Pastorem evitet; tunc enim ageret in fraudem reservationis, & reservatio non haberet effectum.

Ad 2. Q. An peregrini, & ad-209
venæ à quovis approbato Confessario absolvi possint, si habeant tantum tantum reservatum in Diocesi Confessarii, non verò reservatum Episcopo proprii domicilii, seu in Diocesi ipsius pœnitentis? Censent non nulli cum Fagund, & Stoz posse eos absolvi. Rationem dant; quia reservatio fit ab Episcopo in propriæ Diocesis bonum, & circa peccata suorum Diocesano-
rum; non autem peregrinorum, qui non sunt Oves suæ Diocesis, nec subditi, & insuper Confessarius viatorum absolvat per jurisdictionem ab Episcopo viatoris ex recepta consuetudine delegatam, quæ ab alio respectu non subditi restringi nequit.

Con-